



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# Institutiones Dialecticæ

Dieterich, Conrad

Giessæ Hessorum, 1611

V. Actio

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56580](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56580)

*non verò secundum dici, quæ improprie Relata sunt.]*

IV. Relatio per se non incurrit in sensus: *ut, si quis lapidem videat in agro, limitem esse ignorabit, nisi moneatur.*

V. Sæpè manent fundamenta extinctis Relationibus: *ut Lapis in agro relinqui potest, etiamsi non amplius fungatur officio limitis.*

V. ACTIO ποιῆν.

Prædicamentum Actionis, est dispositio actionis per sua genera & species.

Actio est applicatio agentis ad patientem, qua fit mutatio aliqua in patiente. *Philipp. l. 1. Dial.*

[Vulgò dividitur Actio in Immanentem, quæ ipsum agentem respicit, non aliud extra subjectum, ut intellectio, deliberatio, ratiocinatio: Et Transeuntem, quæ ad aliud extra agentem objectum refertur; ut, calefactio, verberatio. Alii alias actionum divisiones tradunt, quæ tamen proprie ad scientias alias referuntur.] Actionis sunt seqq. CANONES.

I. Actio omnis suscipitur propter finem.

*Finis autem naturalium agentium est, sibi assimilare patientem. Sic Ignis agit in aquam, ut calefiat. Docens in docentem, ut doctum reddat.*

II. Actio perficit agentem.

[Si sc. cum ultimo ejus fine congruat. Vnumquodq; enim est propter suam operationem.]

III. Actio convenit solis substantiis.

[Proprie. Qualitates dicuntur agere, sed improprie; Quamvis dent substantiis, ut sic agant, ut calor animæ.]

IV. Actio habet contrarietatem.

[Non per se, sed per accidens, propter sc. Qualitates, quibus mediantibus agens agit. Sic calefactio & frige factio sunt

*sunt contraria, quia calor & frigus sunt contraria.]*

V. Actio recipit magis & minus.

*[Non per se, sed propter qualitates. Per has enim actio gradus recipit. Sic aliàs magis aliàs minus calefacit corpus aliquod.]*

VI. PASSIO πάσχειν.

Prædicamentum Passionis est dispositio Passionis per sua genera & species.

Passio est actionis receptio.

*[Actio & Passio relatè se habent, ideò & Philippus coniunxit. Quæ itaq; Actionis distributiones, eadem ex naturâ relatorum erunt & Passionis. Quidam distinguunt passionem in perfectivam, quæ patiens perficit, Sic discipulus à præceptoris actione perficitur: Et Destructivam, quæ patiens abolet. Alii aliter.]* Ejus sunt seqq. CANONES.

I. Passio recipit contrarietatem.

II. Passio recipit magis & minus.

*[Ex accidenti: propter Qualitates, quibus mediantibus agit. Sic calefactio passiva in aqua modo minor, modo major. Ager aliquando levius, aliquando gravius decumbit.]*

III. Passio recipitur pro modo sive conditionibus patientis; Seu: Receptivum (recipiens) nõ recipit per modum imprimentis, sed per modum suæ receptivitatis.

*Sic actiones Spiritus sancti in diversis objectis sunt varia. Sic quercus à vehementi turbine imperi potest, & tamen non moveri. Non enim ita necessario patitur patiens, ut agit agens.*

VII. QUANDO πότε.

Prædicamentum Quando, est dispositio eorum, quæ circumstantiam temporis denotant.

Quan-